Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1049
Quelle:
Copyright:

Discipulo, quem *Constantianus* a morte revocarat: *qui multo post uiuens tempore hec eadem nobis retulit*. Obiit et colitur Noster a *Cenomanensibus kal. Decembr.* Annum ignorat etiam *Cointius*, qui in *Annal. Eccl. Francor.* de eo agit T. I. Seculo VI. ad an. 532. et 560. citata *Vita* nostra *ms.* Ceterum ad *Corvaisieri Hist. des Evéques du Mans, Paris.* 1648. 4. ablegat.

XIII. *fol.* 199. p. 2. *Incipit Sermo de inuentione corporis Sancti Kataldi confessoris.* Initium: *Regis quidem occultum ac alicuius principis secretum celare bonum est. Dei autem uirtutes atque magnalia reuelare et confiteri honorificum est. Vnde congruum est ut christicolis archana diuina proponantur.* Varia congessere *Bollandiani* ad diem 10. *Maji* de S. hoc Episcopo *Tarentino* T. II. p. 569. *Ferrarius* item ad 8. *Martii* in *Catal. SS. Ital.* p. 141. nihil tamen ad Nostrum. Annum is 1094. ponit, quo *Cataldus Atenulfo* monacho per quietem visus Corpus suum extra urbem defossum *Tarento* inferri jussit. Metus erat a *Normannis* vicinis, ne illud raperent, et erat ex horum gente *Gilbertus* Praesul *Tarentinus*. Studiosior tamen ecclesiae, quam gentis suae Corpus cum celebritate Urbi intulit, non quidem ad Templum *B. V. M.* quo multi inclinabant, sed ad aedem sancti *Blasii* M. Adduntur 5. *Miracula*, quorum nullum apud Autores *supracit.* et Narratio de Pictore *ex genere Francorum*, qui *Cataldi* Ecclesiam penicillo exornavit. Quod *Normannos* memorat Noster, non absimile vero; sed pro *Gilberto* Ep. *Ughellus* in Catal. Epp. *Tarent.* T. IX. *Ital. sacr.* edit. *Venet. col.* 127. *Albertum* refert cum aliis. Atque hic finit insigne *Lectionarium*, quod, vel me tacente, quivis facile observaverit in Regno *Neapolitano* conscriptum fuisse. Addam tamen ea, quae candidus Scriptor sibi propiora hunc in modum perorat:

XIV. *fol.* 202. *Cum ego Frater Marinus monachus paruulus essem in domo patris mei in ciuitate que uocatur sirrentum. placuit deo cuius nutu et dispositione subsistunt ac gubernantur omnia que sunt in celo sursum. et in terra deorsum. ut ad habitum sancte religionis peruenirem. Tempore namque domni iohannis abbatis huius sancti cenobij. a domno gregorio monacho uero germano matris mee in hoc monasterium perductus sum et monachico habitu indutus. Fuit enim prephatus abbas ciuis salernitanus genere nobili ortus loquela facundus, in acquirendis rebus strenuus, corpore grandeuus, omnibus honorabilis. Qui sedit in ordine abbatatus annos tres et menses octo. Post hec ab emulis apud regem roggerium accusatus eius iussu depositus est de suo officio suoque honore. Qui post hec paruo uiuens tempore apud beneuentum defunctus est ibique sepultus. Successit autem in loco eius domnus petronax abbas ciuis tranensis. Vir per omnia eruditus, etate senex, moribus maturus, sermone luculentissimus, omnique bonita-*